

vicit Pripegala victoriosissimus. Huiusmodi afflictiones sine intermissione vel toleramus vel formidamus, quoniam eos semper progredi et in omnibus ingemiscimus bene prosperari. Itaque, fratres charissimi, totius Saxoniae, Franciae, Lutaringiae, Flandriae episcopi, clerici et monachi de bonis sumite exemplum et Gallorum imitatores in hoc etiam estote, clamate hoc in ecclesiis, sanctificate ieiunium, vocate coetum, congregate populum, annunciate hoc et auditum facite in omnibus terminis praelationis vestrae. Sanctificate bellum, suscite robustos. Surgite principes contra inimicos Christi, arripite clipeos, accingimini filii potentes et venite omnes viri bellatores. Infirmus dicat, quia fortis sum ego, quoniam dominus fortitudo plebis suae et protector salvationum Christi sui est. Erumpite et venite omnes amatores Christi et ecclesiae, et sicut Galli ad liberationem Jerusalem vos praeparate. Hierusalem nostra ab initio libera gentilium crudelitate facta est ancilla. Huius muri propter peccata nostra corruerunt. Sed ruina haec sub manu vestra, quatenus lapides pretiosi omnes muri eius et turres Jerusalem gemmis aedificentur. Plateae eius sternantur auro mundo, et prae horrendo sonitu gentilium in conspectu Pripegalae cantetur in ea canticum laetitiae, et pro immolatione de christiani sanguinis effusione carnem et sanguinem edant pauperes et saturentur, ut laudetis dominum qui requiritis eum, vivantque in seculum seculi corda vestra, ut non deficiat de ore vestro alleluia, alleluia! Ad hoc bellum devotas offert manus cum populo suo rex Dacorum, et alii principes per circuitum. Ipse etiam rex noster huius belli auctor cum omnibus, quos poterit adducere, promptissimus erit adiutor. Sabbato in hebdomada rogationum^{b)} erit conventus noster Mersburch, et ubicumque in orientali Saxonia opportuna habemus loca. Sanctissimi patres, monachi, eremitae atque reclusi optimam partem cum Maria elegistis, sed quia nunc tempus ita exigit, de contemplationis quiete cum Martha surgendum est vobis, quoniam fratribus vestris plurimum turbatis cum Martha admodum necessaria est Maria. Vobis loquimur, imo in nobis Christus loquitur vobis. Surge, propera amica, columba mea, et veni. Flores bonae operationis apparuerunt in terra principum nostrorum, tempus putationis advenit idololatriae, vox turturis audita est, quoniam casta mater ecclesia ingemiscit de idololatriae spurcitiis. Nemo accendit lucernam et ponit sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. Surge itaque sponsa Christi et veni. Sonet vox tua in auribus Christi fidelium, quatenus omnes ad Christi festinent bellum, Christi militibus veniant in adiutorium. Gentiles isti pessimi sunt, sed terra eorum optima carne, melle, farina, avibus, et si excolatur, omnium de terrae ubertate proventuum (referta), ita ut nulla ei possit comparari. Sic aiunt illi, quibus nota est. Quapropter, o Saxones, Franci, Lutharingi, Flandrigenae famosissimi et domitores mundi, hic poteritis et animas vestras salvificare, et si ita placet optimam terram ad inhabitandum acquirere. Qui Gallos ab extremo occidente progressos in brachio virtutis suae contra inimicos suos in remotissimo triumphavit oriente, ipse tribuat vobis voluntatem et potentiam, hos affines et inhumanissimos gentiles subiugare et omnibus bene prosperari.

b) 1108. 2—8. Mai.